

summæ Quaternionis primi, primoq; numerico Trigono completiori, vindicant quæcunq; de Tetracty nobis proponunt. Audiatur Joachimus Camerarius, quem de multiplici veterum autorum lectione non obscure commendat Keplerus in Harmonica mundi lib 3. in proœm. Hic in græcis commentariis ad aurea Pythagoræ carmina l. c. sic ait: *Primum illi* (sc. Pythagorei) *Denarium Numeri vocabulo* (quasi κατ' ἐξοχῆν) *designarunt. Quo sensu Plato in Phadone dixit: quod Numeri semissis universus sit impar.* (Sed hîc omnium numerorum (quorum quisque saltem unitatem facit, ut numerari possit quot sint numeri) congeriem potius quàm Denarium intelligi debere, facile subolet ei, qui numeros omnes alternatim pares & impares esse novit.) *Hoc illud enigma: Imparia esse paria* (quid si diceremus, *imparia*, i. e. duos numeros impares [3 5.] simul, *esse paria* [8.] parem facere summam?) Pergit: *Igitur Denarius peculiariter Numerus à Pythagoreis dictus hoc habet proprium quod colligitur ex unitate ejusq; continuis multiplicibus usq; ad quaternarium. Fit enim Triangulum numerate æquilaterum, cuius basis est quaternarius, vertex unitas. Ex eo Pythagorici numerum omnem appellarunt Tetractyn. Et plurimis interjectis, Decadem Pythagorei.*

Omnicapam Matrem, quæ sepiat omnia circum, cedere nesciam & indomitam castamq; vocarunt, ut ait Proclus. Atq; ipsa decem unitatum consummatio, sc. Denarius ex hac Tetracty collectus, continere & absolvere seu consummare exornationem totius universi traditus est à Pythagoreis, quos & Plato sequitur. Nam 1. *Universitas facta est corporea & sensibilis*, 2. *continet omnia quæ sunt in ipsâ indissolubiliter per vinculum analogie seu commensus*, 3. *Tota est, quippe ex totis elementis*, 4. *Rotundum ejus corpus est*, 5. *Ipsa est quæ in seipsa patitur,*